

Ethnicis scripti, propter sermonis elegantiam, & proprietatem permittuntur: nulla tamen ratione pueris prælegendi erunt.

REGVLA OCTAVA.

LIBRI, quorum principale argumentum bonum est, in quibus tamen obiter aliqua inserta sunt, qua ad heresim, seu impietatem, diuinationem, seu superstitionem spectant, à Catholicis Theologis, inquisitionis generalis auctoritate expurgati, concedi possunt. Idem iudicium sit de prologis, summariis, seu annotationibus, qua à damnatis auctoribus, libris non damnatis, appositi sunt; sed posthac non nisi emendati excudantur.

BENEDICTI ARIÆ MONTA-

NI HISPALENSIS, IN CORRECTO-

rium Indicem Catholici Regis auctoritate,

& Ducis Albani iussu editum,

Præfatio.

MAGNAM hominum generi disciplinarum omnium bonarum, quibus antiqua secula maximè floruere, partem priorum temporum negligentia obrutam, hæc nostra ætas in lucem editam, Dei beneficio, restituerat: magnam etiam beatorum ingeniorum, ad omnes artium partes excolendas copiam produxerat; adeò ut sperare possemus cum multarum rerum, quæ iam olim occultatæ fuerant, nouo recentique usu veterem etiam sapientiam non modo instaurandum, sed multò cumulatius augendam amplificandamque fore, nisi inimicus ille homo, qui numquam dormit, nunquam non humano generi nocere, diuinæquæ gloriæ obesse cupit & conatur, plurimum infelicitis loli & sterilis auctoræ in hoc apparato iam, & elegantius culto disciplinarum agro interseuisset; adeo ut non minus esset ferrè periculi huiusmodi intermixtis frugibus uti, quam nullis omnino iuuari atque augeri: Siquidem interim dum nullæ essent, desiderari, & adhibito studio, ut quam optimæ & commodissimæ contin-